

8620



Rep. XXXIII. 4. no. 98.

60
GEORGII ADAMI STRUVII,
D. J. U. Prof. Publ.
EXERCITATIONEM FEUDALEM
DECIMAM QUARTAM

De
DEBITIS FEU-
DALIBUS,

Sub

Ejusdem Præsidio

Iterum publicæ disquisitioni exponit, & quæ-
dam ex Jure Criminali *Πρόματα*
annectit

FRIDERICUS HELM.

Ad d. IIX. Maji, Anno

M. DC. LIIIX.

H. L. Q. C.

JENÆ

è Typographéo JOHANNIS NISII.

GEORGI ADAMI STRUVE
D. J. U. Prof. Publ.
REKCAVATTONEM FEM
DECIMAM OVALAM

DEBITIS FEU
DALIBUS

sub
Fusdem Prædico
lectura publice dispositioni exponit & puer
dans ex hinc & illinc

FRIDERICUS HERM
M. D. C. L. I. X.
H. O. G.

VENA
Typographi Johannis Nitzsch

Removeri Laicos seu saeculares, nemo ut opinor, ignorat. Idem in clericis obtinere & ipsa ratio & experientia dicitur. Licet enim Papa Evaristus c. *sicut vir. 7. quest. 1.* dicat: *Sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se, vivente eo, matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus, sed juxta Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut innupta manere: ita Ecclesia non licet dimittere suum episcopum, aut ab eo se segregare, ut alterum vivente eo accipiat: sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, id est alterum Episcopum, suo vivente non accipiat, ne fornicationis aut adulterii crimen incurrat;* intelligendus tamen est de casu, quando nulla subest causa sufficiens & justa. Hinc ipse mentem suam satis explicat c. *audivimus 3. quest. 2.* Illos vero, inquit, qui adulterina fœditate suas sponsas (quas uxores eorum prefixo tenore esse intelligimus) ejici, & adulteros atque infames fieri, eosque ab Ecclesiasticis honoribus arceri jubemus. Quibus autem jus hoc concessum, non usquequaque manifestum est. Ego, si talia sint officia, quorum collatio, à summo Principe dependet, vel ipsum illum, vel alium, cui hæc potestas ab eo concessa, iisdem pro delictiratione private posse statuo. Jure Justiniano Episcopis cæterisque sacri ordinis in sui similes meritò denegatur: quos ne quidem jurisdictionem eique coherens mixtum imperium, sed nudam solum notionem, *ἐκχωρήν*, audientiam citra aliquam cognitum exequendi potestatem ex delegatione Imperatoria l. 25. C. d. *Episc. & cleric. l. 6. 13. 26. 33. & t. t. C. d. Episcop. aud. Novell. 86.*

quæ Episcopale cluet judicium l. 8. C. de Epis. audient. habuisse abundè constat. Debet enim religio πρώτη esse ἐν πολιτείᾳ ἡπιμέλεια Aristot. 7. Polit. 8. cum ἀπάσης κοινωνίας ἔργον sit Plutarchus lib. adves. Colot. quomodo jus sacrorum omni ferè tempore inter partes τῶ κυρίῳ relatum, etiam ipsis Ethnicis, non quidem quasi ea, quæ, ut nunc loquuntur, ordinis sunt, nisi simul Regiam & Pontificalem dignitatem sustinuerent, administrarint, sed quod illam administrationem directione externa promoverint, & in iis, quæ objectivè ad Ecclesiam spectarent, imperium & auxilium seculare interposuerint. Inde Imperatores Constantinopolitani ἡπισημονάρχαι, doctrina Ecclesiastica præsidēs dicti. Elogium satis splendidum, imprimis, si potestatem illorum ex Demetrio Chomateno in Resp. ad Cabasilam discas, cujus verba exhibet Janus Meursius in Glossario Græco-barbaro. Sic quoque ipsos Romanos Episcopos Imperatoribus paruisse arguit Leo IV, qui præcepta Lotharii & Imperatorum omnibus se modis servaturum professus est c. 10. & ult. distinct. 10. & ob crimen læsæ Majestatis delatus coram Ludovico II. causam dixit atque se purgavit caus. 2. c. 41. quest. 7. Quin & non solum ab ipsis investitos, sed & depositos fuisse declarat exemplum Henrici IV. Pontificatum à Benedicto X. in Nicolaum II. transferentis, quem tamen Canones legitimum agnoscere non dedignati.

II. Atque ita post Decretum Passaviense, & subsequutam Pacificationem Religiosam in terris Protestantium obtinet, vigore cujus Ecclesiasticorum potestas in omnibus negotiis religionem ac cœtum concernentibus quiescere cœpit, & jurisdictio Ecclesiastica in personas & res Clericorum principibus & statibus Imperii plenissimè

simè

simé competit manetque ita post pacem Osnabrugensem art. 5. §. jus Diæcesanum. Ante enim illa tempora soli eam exercebant clerici, & quidem potissimum Episcopus Ecclesiæ Romanæ, quæ veluti caput in corpore, in qua sola plenitudo potestatis existit, & ad cæteras pars aliqua duntaxat derivatur c. 5. destinēt. 99.) vel ignavia vel superstitione imperantium, vel quod jure Novellarum in criminibus clericorum in partem cognitionis assumti Auth. Clericus l. 33. c. de Episc. & cler. Novell. 83. c. 2. partem nacti totam ad se traxerant Auth. statuimus C. de Episc. & cler. add. c. 1. de offic. ordin. c. unic. de cleric. conjug. in Sext. c. 4. quest. 3. c. 22, 17. q. 3. & inde etiam potestatem removendi habuerunt. c. 5. causa 2. q. 5. c. 29. destinēt. 80. c. 9. destruet. 28.

III. Quamvis ergo quivis princeps & status jurisdictionem habeat Ecclesiasticam, exercere tamen eam solet per Consistorium, non quidem illud, cujus meminere Imperatores in l. 1. C. de comit. consist. & l. fin. de offi. div. & Hesychio est θεῖον συνέδριον, Suidæ autem τὸ συνέδριον, καὶ τὸ σύστημα ἐνθα πρὸς τῶν ἐπιγόντων βαλίουονται, sed quod ex viris religiosis politicis & Ecclesiasticis constitutum negotia spiritualia seu Ecclesiastica expedit. Et huic jus removendi etiam competere assero, non autem Patronis vigere jure patronat9, qui pro suo arbitrio ab officio remove non possunt, c. 4. c. 5. c. 9. c. 10. c. 15. c. 29. de jur. patron. tum quia quod semel placuit amplius displicere non potest c. 21. de R. J. in Sext. cum quia ut instituendi, ita & jus removendi, si gravis & sufficiens causa adsit, non nisi ad Episcopum pertinet c. 29. c. 16. q. 7. c. 16. de privil. c. 31. de offi. jud. ordin. c. unic. de capell. Monach. in sext.

IV. Est autem remotionis gradus triplex: Infimus

A 3

medius,

medius, & summus. Minima remotio peculiari nomi-
 ne vocatur *suspensio*: suspendere pro anxium vel dubium
 reddere Romanis non ignotum. Ita *Plinius lib. 2. ep. ult.*
movet labra agitat digitos, computat nihil, nisi ut diu mise-
ram expectatione suspendat: Macrobi. 1. saturn. 11. Patres in
incipiti deliberatione suspensi. Sic suspendi etiam dicitur
 defunctorum actus pro differri *l. ult. Comm. prad.* At ex
 inde minus latinè suspendere ab officio. Potius cum *Vof-*
sio de vitiis sermon. jubere aliquem ad tempus abstinere, aut
ad tempus summovere vel cum *Ulpiano l. 1. §. 13. de offic. praef.*
urb. l. 9. pr. de pœn. & Paulo l. 43. ibid. actu quodam vel of-
 ficio *ad tempus interdiceret.* Mihi legitimum hoc verbum
 retinere sedet. Hinc descendit suspensio quæ vel imme-
 diatè fit à jure, cum quid admissum, quod nulla judicis
 sententia expectata ipsum jus notat, vel mediatè per
 sententiam privationis condemnatoriam, vel ad tempus
 definitum vel incertum. Describi potest quod sit, *cen-*
sura per quam officium vel exercitium juris alicui interdicitur,
aut, quod sit temporalis privatio ordinum, officiorum, vel
jurisdictionis, dignitatum & honorum ex aliquo impedimen-
to orta. Imponitur aliquando in puram criminis vindi-
 ctam & tum pœna est *l. 8. ff. de pœn. ubi actus prohibitio*
vocatur c. 9. de dol. & cont. c. 10. de elect. & elect. pot. quæ
 tamen excommunicatione & degradatione longè est in-
 ferior *c. 10. de purgat. Canon.* aliquando propter solam
 contumaciam, & sub ratione medicinæ, ut quis à pecca-
 to resipiscat, ut fit in *c. nullus & cap. prater. 32. distinct.*
 & tum censura est *c. 20. de V. S.* ubi commentantem vide
Augustinum Barbosam.

V. Suspenduntur ergò tam Clerici, quam Laici.
 Clerici jure Canonico suspenduntur vel ab officiis vel be-
 neficiis

medicina

e A

beneficiis vel utrisque simul: Per officia licet etiam benefi-
cia Ecclesiastica intelligi possint, quia scilicet illa certa sub
se continent ministeria, ad quae illa gerens adstrictus est,
hic tamen solum intelligo munus sive jus, quod ratione e-
jus tributum est, ut in Episcopo est ordo, lex Dioecessana,
& jurisdictio. Si quis ergo per annum ob contumaciam in
criminali causa contracta in suspensione stat, beneficio in
simul privatur *c. 8. de atar. & qualis* quod secus est cum
suspensio propter civilem causam facta est: tunc enim ut
deveniatur ad privationem beneficii, lapsus triennii re-
quiritur. *Vivian. in Ration. jur. Pontif. ad d. c. 8.* Nec ta-
men illi, qui hoc modo punitur, alius substitui potest,
quod ministerium Ecclesiae ad tempus vocare & ordinare,
ministerioque nondum vacante alium sufficere abso-
num sit, *c. qui vivorum de concess. prabend.* Et hoc hodie
adhuc receptum ubi vicinis Parochis cura animarum
tantisper committitur, suspensus tamen ab officio, sala-
rio suo privatur. Beneficia in re militari Romanis di-
cebantur promotiones ad altiorem gradum: un-
de qui gratia aut commendatione alicujus ordinem me-
ruisset, beneficii illius esse dicebatur *Sueton. Tiber. c. 12.*
Idem Vegetio de re milit. lib. 2. c. 7. & antiquis Inscript.
Beneficiarii appellantur, imò etiam beneficia, unde *Cice-
roni* est deferre in beneficiis *lib. 5. ad fam. ep. 20.* id est, in-
ter illos, qui promoti sunt, quia talia beneficia à Recto-
ribus provinciarum stante republ. concessa, non aliter ra-
ta erant, quam si Rectores Romam reduces triginta die-
bus post relatas rationes nomina eorum ad aetarium de-
tulissent. Hic potissimum praebendae & Canonicae in-
telliguntur, *c. ex multis l. 9. 3. §. constituimus*, quibus pri-
vatus, non repellitur à divinis & servitio Ecclesiae, sed ea
debet

debet celebrare recepta tantisper modica sustentatione,
*C. cum Vintoniensis & ibi Glossa in verbis admiserunt de
Elect. & Elect. pot.*

VI. Extra ordinem clericorum constitutis pro ra-
tione delicti ad tempus etiam quandoque interdicitur
professione sua, ut juris studiosis id est Professoribus, Af-
fessoribus, comitibus judicum *l. 1. de Assess.* quos iudica-
turi in consilium adhibere solebant *Gell. lib. 12. Noct.
Attic. c. 13.* Advocatis, Tabellionibus, qualis est, teste
*Suida, τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, vel ἕκαστον αὐτῶν
Ἰπισφραγίζων αὐτοῖς οἰκείοις γράμμασι,* Pragmaticis id est
Advocatorum suggestoribus, advocacionibus aut omni-
bus forensibus negotiis *l. 9. §. 4. & seqq. de pæn.* quando-
que ordine ut Decurionibus *l. 7. §. 20. de interd. & releg.
l. 3. C. ex quibus caus. infam. l. 5. de decur.* quo factio eti-
am honoribus municipalibus, ut erant *Ædilitas, Sacerdo-
tium, Flamonium, Duumviratus, & similes,* abstinere
cogebantur: quandoque jure aliquo, ut *Spectaculis l. 1. §.
13. de pref. urb.*

VII. In genere autem sciendum non ob leves, aut
exiguas causas eam esse decernendam; quin potius illi,
qui vulgata infamia, gravi scandalo, vel vehementi suspi-
cione non laborat, est remittenda *c. 10. de purg. canon.*
Excludimus hic pessimorum hominum rumores, obtre-
ctationes & infamationes, cum ante omnia rimari dece-
at, *qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita,*
*quo ve merito crimen objiciatur, c. si qui q. 2. q. 7. mala enim
audita neminem moveant, ne passim dicta absque certa pro-
batione quisquam unquam credat, sed ante audita diligen-
ter inquiret c. 2. q. 1. nisi fortè objecta à multis originem
habeant c. presbyter si 2. q. 4. c. fin. accus. vel de crimine
magno*

magno

magno infamatum arguat puta de Simonia c. accusatur de
Simon. Locum habet hic monitum Nicolai Papæ, c. sciscitan-
tibus 15. q. 8. priusquam audias ne iudicaveris quenquam, atque
ante probationem accusationis illate neminem à tua communione
suspendas, quia non statim qui accusatur reus, sed qui convincitur
criminosus. Cui geminum est quod Anno cto 15 LIIX. in Re-
formatione Politica Caroli V. statutum de opificibus, quibus
convicium dictum, tit. von Handwercks Söhnen; verbis:
Es sol auch der jenige so geschmähet worden keines weges
auffgetrieben / sondern bey seinem Handwercke gelassen
werden / und die Handwercksgesellen mit und neben ihm zu
arbeiten schuldig sein / so lange bis die angezogenen injurien,
wie sichs gebühret / erohrt werden. Nec tamen hoc im-
pedit, quo minus hodiè sacerdotes etiam de crimine nondum
convicti ab officio suspendi possint, quod tam suspitione,
quam crimine carere illos oportet. Scilicet si *Ausonio* fides
in *Ephemer.* in *Orat. Paulum distare videntur suspectus, vereque
reus.* Idque potissimum processu inquisitorio pendente
contingere solet, ne vilescat auctoritas Parochi apud suos,
culpa sanè ipsorum, quia ad inquisitionem rarò devenitur in
causis præsertim criminalibus, priusquàm de urgentibus præ-
sumtionibus constet. c. qualiter & quand. de accusat. l. 3. C. de
offic. Reët. provinc.

VIII. Hinc solum ob excessus id est delicta, errata,
facinora commissa imponi dicitur c. 9. de Elect. & elect. pot. c.
12. de major & obed. qualia quidem in personis Clericorum
multa agnoscunt Canones, ego autem non tanti ponderis
esse duco, ut in illis enarrandis prolixus esse debeam. Si
lubet adi *Martin. Bonacin. in Theolog. moral. tom. 3. Diss. 3.* Ne
verò planè a symbolus sim, quædam recensebo: si Clericus
commestationibus superfluis indulgeat, ita ut officio suo ritè
non defungatur c. 9. de celebr. miss. à crapula & ebrietate non
abstineat, cum ebrietas & mentis inducat exilium & libidi-
nis provocet incentiyum c. 14. de vit. & honest. Cleric. contra
con-

Conscientiam & iustitiam in gravamen partis alterius in iudicio quicquam per gratiam fecerit *c. 1. de sent. & rejudic. in Sext.* præsumat Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis, aut literas alicui seu sigilla concedere, quibus possint Ecclesie obligari *c. 2. de solut. c. ambitiosa de reb. Eccles. non alien.* Hic addi possint ex *tit. C. de Episcop. & Cleric.* si perbyteri & Diaconi in causa pecuniaria falsum testimonium perhibuisse convicti sint *Authent. Presbyteri, C. d. t. ad tabulas luserint*, aut aliis ludentibus participes fuerint, aut inspectores facti, vel ad quodlibet spectaculum spectandi gratia venerint. *Auth. interdiciamus. C. d. t.* Et hæc sunt à parte Clericorum, qui eos officio fungi aut redditibus suis frui non permittunt. Quod cæteros concernit frequentius hæc pœna locum habet pro mensura tamen cuiusque delicti arbitrio prudentio magistratus constituenda. Sic qui atrociori modo furatus est, licet in opus publicum vel perpetuum vel temporarium dari soleat, si tamen honestior sit, ordine ad tempus moveatur. *l. 1. §. 1. de offract. & expil. Advocatus*, qui falsum instrumentum cognoscente præside recitavit per decem annos ab ordine decurionum moveatur *l. 13. §. 1. de leg. Corn. de fals.* Plures dantur causæ, sed mihi prolixiori esse non licet.

IX. Suspensis igitur ita, si existimationis læsionem incurrant, exercitio tamen juris restituto, per hoc ipsum fama censetur restituta: *l. 3. C. ex quib. caus. infam. l. 8. de postul. l. 1. C. de iis qui in exil. dat. vel ab ord. mot.* ut docuit me *Nobilissimus Præses Exercit. 7. ff. 1b. 23.* Ut autem de restitutione muneris constet, videtur opus esse sententia aliqua declaratoria, quod maximè obtinet in restitutione ministrorum Ecclesie: Ibi enim pro ratione loci præmittit Parochus alius deprecationem publicam, nec non admonitionem, ut condonent ministro ab officio suspenso, nec scandalum inde sumant, addita prece, pro ipso & tota Ecclesia ut Deo cooperante in fide & vera pietate pergat. *Carpzov. lib. 3. jurisprud. Consistor. tit. 10.*

X. Succedit medius remotionis gradus, qui depositio dicitur, & eodem modo, quo suspensio describi potest, dum

dummodò pro *temporalis*, vox *pèrpetua* substituatur: breviter est deturbatio à dignitate, gradu, vel ordine, indeque dependentibus juribus, sine spe restitutionis facta. *Εκφυλλοφοήσας* Atheniensibus idem erat, quod deponere, si nimirum senator, qui parum sanctè se gesserat, è senatu dimovebatur, qui frondibus nominibus senatorum inscriptis iudicium hoc administrabatur, vel si quis civitate movebatur, quod suffragia frondibus; in quibus veros falsosque cives inscripserant, ferebantur. *Carolus Sigonius de republ. Athen. lib. 2. p. 37. & 46.* Latisimè hoc pœnæ genus grassatur, ita ut intra certos cancellos reduci difficulter possis. In republ. Romana opus hoc Censuræ erat, qui mores populi regere, & in singulos civium ordines, si quid deliquissent, jus animadversionis exercere tenebantur. Huc spectare puto, cum in cæritum tabulas referebant, vel quod idem ararium faciebant, hoc est sine lege, & sine ullo suffragio, ac pro capite tantum suo tributio nomine ara pendere jubebant. Causæ erant, si quis agrum suum passus fuerat serdescere, eumque in diligenter curabat, ac neque araverat; neque purgaverat; sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictus, *Gell. lib. 4. noct. Act. c. 12.* Nec tamen illæ omnes. Ita eos qui principio belli Carthaginensis septemdecim annos nati fuerant, neq; militaverant ararios fecerunt, *Livius lib. 27. c. 11.* quod & accidit illis, qui ad senectutem cœlibes pervenerant. *Valer. Max. lib. 2. c. 9.*

XI. Nec hanc censoriam depositionis notam Equestris & senatorius ordo lucrifaciebant. Eques si censum suum labefecisset, qui quadringentorum erat sestertium, vel aliud commisisset, quod indignum equestri dignitate iudicabant censores, multabatur & unus de plebe esse incipiebat. Habebant equites equum publicè donatum, hic adimebatur *Sueton. August. c. 38.* ut & Annulus, qui proprium erat dignitatis equestris insigne *Sueton. Cesar. c. 33. & 39.* inquam rem *Jocus Martialis exstat lib. 8. Epigr. 5.*

Dum donas Macer annulos puellis,

Desisti Macer annulos habere.

amittebat imminuto suo censu, qui post Augustum

B 2

O 80.

Octoginta millia sestertium excessit, ne splendor amplissimi ordinis rei familiaris angustiis obscuraretur. Testis Cicero lib. 13. Epist. ad fam. 5. C. Curtius in Volaterrano habet possessionem, quum in eam, tanquam e naufragio reliquias contulisset. Hoc autem tempore cum Caesar in senatum legit: quem ordinem ille ista possessione amissa tueri vix potest. gravissimum autem est, quum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna. Erant & alia causa quæ dignitatis privationem inducebant. Cornelius Rufinus duobus consulatibus & dictatura speciosissime functus, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosus in ordine senatorio retentus non est Valer. Max. lib. 2. c. 9. L. Antoninus senatu motus est, quod quam virginem in matrimonium duxerat, repudiarat nullo amicorum in Consilium adhibito Id. ibid. 2. Quintius Flamininus Consularis Senatorio loco motus, quod in gratiam scortitransfugæ Bojo primum caput percusserat, deinde fugienti fidemque P. R. atque eorum qui aderant imploranti, latus transfoderat. Livius lib. 39. c. 42. Plutarch. in Flaminino. In genere ob turpitudinem moveri dicitur senator l. 2. de senat. quod tamen capitis deminutionem non importat l. 5. Instit. de capit. demin. quin & Romæ ex permissione Divi Severi & Antonini morari licet l. 3. eod. ita tamen ut judicare vel testimonium dicere non possit l. 2. eod. Sic quibusdam etiam in pœnam civitas adimebatur, & in peregrinitatem redigi dicebantur: Sveton. Claud. c. 16. Splendidum virum, Græciæque provincia principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo judicium erasit sed etiam in peregrinitatem redegit.

XII. Quo major autem hæc suspensione pœna, eò infrequentius imponenda, secus ac in delictis Clericorum Græcos fecisse Patriarcha Antiochenus Theodorus Balsamon testari potest. Inde solum in sceleribus magnis deprehensi, dummodo tamen admonitio præcesserit c. petimus ii. q. 1. ea sunt multati c. 6. de pœn. ita ut vel officio vel beneficio simul c. fin. de celebr. miss. vel separatim c. 2. de pœn. in Sext. c. novimus de u. 5. privarentur. Istis sceleribus accensetur simonia c. 1. de Simon. Consentit Can. 29. Apost. apud Balsam. εἰ τις ἐπίσκοπος

24

Δὲ ζηνυάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται ἢ πρεσβύτερος ἢ
 Διάκονος καὶ καθαιρεῖται καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονηθεὶς. Perjurium
 c. si quis 10. c. 22. q. 1. Concubinatus c. 4. de cohabit cleric. vendi-
 tio rerum Ecclesiasticarum nulla necessitate urgente facta c. si
 quis 9. q. 2. latrocinium c. 6. de pœn. conspiratio contra E-
 piscopum c. conspirationum 11. quest. 10. Clericus autem ita de-
 positus non tamen exemptus erat à jurisdictione & potestate
 judicis Ecclesiastica, neque aliis privilegiis & immunitatibus
 spoliatus *Gloss. ad c. 36. de sent. excomm.* licet insignia per quæ
 investitus, ut in Episcopo erant & baculus, ut ejus judicio sub-
 dita plebs vel regeretur vel corrigeretur, vel infirmitates infirma-
 rum sustinerentur, & annulus propter signum Pontificalis honoris
 vel signaculum secretorum, cum multa ab oculis carnalium minusq̃
 intelligentium occultantes sacerdotes quasi sub signaculo condant,
 ne indignis quibusque sacramenta DEI aperiantur C. IX. Concil.
 Aquisgran. tom 3. Concil. deponere cogebantur Petrus Dia-
 con. lib. 4. Chronic. Castinens. c. 123. quæ tamen, si innocen-
 tes reperirentur, coram altari ab Episcopo recipiebant. Con-
 cil. Toletan. 4. c. 27. tom. 3. Conc. Kirchman de. annal. c. 20.

XIII. Nec hic subsistit depositio, quin etiam ipsos
 rerum publicarum Atlantes petit. Reges & principes intelligo
 imprimis illos, quos sibi obstrictos habent leges fundamen-
 tales. Ibi enim cum subjeetorum obligatio nequaquam sit puta-
 aut absoluta, sed conditionalis, si violatio essentialis incidat
 in contractu, quem cum Domino suo celebrarint, quin eum
 deponere queant, nullus dubito. Imperatorem ex justis-
 sima & gravissima causa imperiali potestate privari posse re-
 cepta est politicorū sententia innixa testimonio *can. ad Aposto-
 lica 2. de sent. & re judic. in bto. c. alius 15. q. 6. C. si Papa 6. distinct.*
 40. & exemplo VVenceslai ob ignaviam imperio exuti, *Quem
 meritum investivimus, quare immeritum non devestiremus,* in-
 quit *Moguntinus* in abdicat Henric. IV. apud *Helmold. in
 Chronic. Slav.* A solis autem Electoribus id fieri posse notissi-
 mum argumento triti illius *cujus est creare illius, est etiam depo-
 nere.* l. *Barbarius de offic. prator.* Mirari hic subit Papæ ferre-
 amos, quod sibi à tempore Henrici IV. inter omnes Imperato-

res primò à se depositi, renitentibus tamen Friderico & Ludovico Bavaro *Buxtorf. Dissert. ad A. B. §. XI.* potestatem hanc tribuere non erubuit. Et licet quandoque detonuerit, ædilitatem tamen sine suffragio se gessisse sciat. Audeat jam, si vir est! Pulchrè interim jam ante scripsit *Gunth. lib. 6.*

Num Petrus, aut Clemens, num cætera turba priorum,
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore prisco
Pauper erat præsul, regali munere crevit;
Nectamen ut fasces & regni jura latini
Veldare præsumat, vel cuiquam tollere possit.

In recenti adhuc est memoria, quid Sigismundo III. Sveciæ heredi acciderit. Is cum jurasset Vpsaliæ se privilegia conservaturum, militem externum non introducturum, & solam Augustanam Confessionem in Svecia admissurum, & pactis non stetisse argueretur, ipse, Carolo patruo in locum ejus successio, exauguratus est.

XIV. Etiam qui pejeravit, omni honore dignitate & officio privatur *l. 17. C. de dignit. lib. 12.* Et hanc pœnam approbant etiam leges torneamentorum artic. 4. *Dasß welcher vom Adel Siegelbruchig / mejneidig / und ehrenloß erkand wird / in keinem turnier zugelassen werden sollen.* Quin & infamia notatus ex collegio opificum removetur, quomodo nostrates consulti responderunt in casu pistoris fustigationem perpesi, ut testatur *Dn. Richterus* *¶ Cuius Eminentissimus part. 2. Decis. 80. n. 27. & seqq.* Nec prætereundus hic Advocatus, causa sua prodatam diversam partem adjuvando prævaricationis crimen committens *arg. l. 5. de prævaric. vel senatores aut alii ministri civitatum secreta revelantes contra præstitum jusjurandum.* *Paulus Christin. vol. 5. Decis. Cur. Belg. 75. n. 27.*

XV. Quod autem dixi depositionem absque spe restitutionis fieri, id tamen quandoque ex accidenti aliter evenire solet, si depositus bona fide se emendet, aut emendaturum promittat, vel alias clementiæ suæ specimen majestas vel ille cum quo potestas illa à majestate communicata, edere velit. Sic Flamininus, de quo superius restitutus esse videtur. *Plutarch. in Q. Flamin. Edit. Henric. Steph. p. 694. & μὴν αἰτῶν*
8 Pw-

Ἐρωταίων ποτὲ δῆμος θέαν ἔχουσι ἐν τῷ θεάτρῳ; καὶ τῆς βελῆς ἄ-
ὡσπερ εἰωθεν, κόσμῳ προσκαθημένης, ὀφθαίς ὁ λαὸς ἐπ' ἐχάτοις
πρὸ καθήκοντος ἀλίμως καὶ ταπεινῶς ἰκλῖον ἔχει. καὶ τὸ πλῆθος ἐκ
ἠνέχετο τὴν ὄψιν, ἀλλ' ἐβόων μεταβῆναι κελύοντες, ἕως μελέσῃ, δε-
χομένων αὐτὸν εἰς εἰσὶν τῶν ὑπαλικῶν.

XVI. Paucis nunc etiam de summa eaque ultima re-
motionis specie agendum, quæ dicitur *Degradatio*, & descen-
dit à degradare, quod verbum castimonia linguæ Latinæ i-
gnorat. Non enim degradare sacerdotem ut *Augustinus* lo-
quitur *ep. 235. ad Quint.* sed cum *Budaeo* in *Forensibus*, infula
exuere, exangurare, non degradare Senatorem, quomodo
Imperatores in *l. 3. C. de offic. mag. offic. 1. 1. de offic. privil. Scholar. C.*
lib. 12. rectè dixeris. Et quamvis vi vocis degradare, idem sit
quod deponere, tamen jure Canonum, quo degradatio pri-
mum inventa & quidem in solo clerico, valdè distinguuntur.
Est enim degradatio, qua Clericus ob grave quoddam deli-
ctum non solum dignitatibus & honoribus verum etiam pri-
vilegiis & ordinibus sacris exuitur, secundum formam in
c. 2. de pæn. in sext. præscriptam & deinde potestati seculari
traditur, *c. 27. de V. S. c. cum fortius, de calumn.* vel ut ipsa ju-
dicet, vel ut sententiam sanguinis contra Clericum, per
Laicum delegatum prolatam exequatur. *Decian. tract. Crimin.*
lib. 4. c. 9. n. 123. & seqq.

XVII. In tribus tantummodo casibus eam locum ha-
bere tradit *Tholosan. Syntagm. jur. univ. lib. 31. c. 30.* in hæretico
c. ad abolendam §. 1. de heret. & c. excommunicamus eod. tit. falsa-
tore literarum summi Pontificis c. ad falsariorum de crimin. fals.
& in eo qui insidiatus est suo Episcopo, vel eum calumniatus
est *c. si quis sacerdotum 11. q. 1.* Vivum hujus habemus exem-
plum in *Sleidan. Comment. de stat. Relig. lib. 4. p. m. 82.* quæ cum
apprimè huc faciant, addenda esse putavi. Capti fuerunt ad
hoc tempus *Bruxelle*, professionis *Augustiniane* monachi duo *Johan-*
nes & Henricus. Questionem habuit *Hogostratus Dominicanus*,
inter alios. Rogati sunt primum, ec quid crederent? Illi, veteris &
novi Testamenti libris, & Apostolorum Symbolo, quod fidei capita
continet, credere se dicunt; num decretis conciliorum atque pa-

7177

trum credant? iis quæ cum scriptura consentiant: putent ne peccatum esse mortale, si quis Patrum & Pontificis Romani decreta violenter. Solis præceptis divinis hoc esse tribuendum, ut absolvant aut condemnent. Quum in eo persisterent damnati sunt capitis: ipsi vero gratias agebant Deo, quod pro sivi nominis gloria perferendum aliquid esset. Quum producerentur omnium oculos in se constantia sua convertebant: itaque fuerunt exusti calendis Julii. Prius vero quam afficerentur supplicio sacris fuerunt exautorati, DEGRADATIONEM vulgò vocant. Id a. ita fieri solet in iis, qui dicuntur sacerdotes: Hæreseos damnatus à iudice Ecclesiastici ordinis induitur sacris vestibus, inq. manus ei traditur calix cum vino & aqua, cum pane azymo. Sic in genua perocumbenti vicarius Episcopi tollit, & adimit ea, quæ diximus & simul mandat, ne posthac sacrum faciat pro vivis, aut mortuis. Lamina deinde vitrea radit ei digitos, injungens, ne rem ullam deinceps consecret: post hæc reliquum apparatus omnem aufert, usus ad singula certis quibusdam imprecationibus. Cum jam exemptus est ille numero sacerdotum, reliquis etiam gradibus per quos ad sacerdotii dignitatem veniri solet, exuitur. Sic denudatus aliisque vestibus, uti vocant, profanis indutus, traditur magistratui, deprecante interim Episcopi vicario, ne quid in ipsius vitam aut corpus etiam statuatur gravius. Hæc enim adhibetur cerimonia, ne scil. ipsi qui sacra tractant supplicii vel profusi sanguinis Autores videantur exstitisse. Idem etiam in Laicis aliqua dignitate insignitis, puta si Doctor sit, qui propter aliquod delictum privatur singulo Doctorali, & Nobilibus servari testatur Amplissimus Dn. Reinking. Mæcenas
piè devenerandus lib. 3. de Reg. secul. & Eccles.

Class. 2. c. 2.

F I N I S.



† †

nsaqpein!

150

Jus crimin. 149^t -

